

quitus P. Claudius Appi Caeci filius primus ex isto genere
 Pulcher appellatus est. Hic consul aput Drepanam ad-
 versus auspicia Poenis classe conflixit. Ea pugna Roma-
 norum naves perierunt CXX. Ob id factum dies ei dicta
 5 est perduellionis a Pullio et Fundanio tr. pl. Cum
 comitia eius rei fierent et centuriae introducerentur, tem-
 pestas turbida coorta est; vitium intercessit. Postea tr.
 pl. intercesserunt, ne idem homines in eodem magistratu
 perduellionis bis eundem accusarent. Itaque actione
 10 mutata, iisdem accusantibus, multa inrogata populus eum
 damnavit aeris gravis CXX millibus.

'At sum', inquit 'absolutus!' Novo quidem hercle Frgm.
XXVI
 more, cui uni absoluto lites aestimatae sunt.

... victoriam quoque iudicii orator convertit in de-
 15 decus inopinata inlata huiusmodi responsione. Lites
 autem damnatis reis aestimabantur, cum taxatio pecuniae
 fiebat, quae illis adplicaretur. Quoniam ergo non pro-
 batione innocentiae sed corruptis iudicibus fuerat Clodius
 absolutus, idcirco ait absoluto lites aestimatas, hoc est
 20 poena quidem liberatum, sed pecunia quodammodo multa-
 tum, quam iudicibus pro absoluteione numerasset.

Quasi ego non contentus sim, quod mihi Frgm.
XXVII
 quinque et XX iudices crediderunt, ... qui se-
 questres abs te locupletes acceperint.

25 Notemus verborum medietates elegantissime ab oratore
 suspendi. Nam cum prae se ferret Clodius victoriam
 iudicii, quod liberatus sententiis pluribus videretur, ait
 Tullius ad confirmandam testimonii sui religionem XX et
 quinque sibi iudices credidisse, illos videlicet, qui reum
 30 damnaverant; sed etiam illos, qui pro reo sententiam
 dixerint, ipsi Clodio nihil credidisse, quando ab senatu